

Vol. IV. n. 2.
23-13
1683
24

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA
DE
REMISSIONE
DELINQUENTIUM AD
LOCUM DELICTI,

QVAM
INDULTU MAGNIFICI ET NOBILISSIMI
JURISCONSULTORUM ORDINIS IN CELEBERRIMA
WITTEBERGENSI ACADEMIA,
PRÆSIDE


VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ATQVE
EXCELLENTISSIMO

DN. CASPARE ZIEGLERO,
JC. ET ANTECESSORE IN HAC ALMA LEUCO-
REA LONGE CELEBERRIMO, SERENISS. ELECTOR. SAXON.
CONSILIARIO, FACULTATIS JURID. ORDINARIO, SE-
NIORE CURIÆ ELECT. CONSISTORII ECCLES. ET
SCABINATUS ASSESSORE GRAVISSIMO,
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMOTORE SUO OMNI
HONORIS ET OBSE^{QV} VII CULTU ÆTATEM
PROSE^{QV}ENDO,

PLACIDAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICET
GODOFREDUS *Gappaq/*

Dessa-Anhaltinus,
IN AUDITORIO JURISCONSULTORUM
Ad diem 24. Februarii Anno O. R. M. DC. LXXXIII.
Edictio Secunda.

Typis Viduae AUGUSTI BRÜNINGII, 1699.



Q. D. F. F. Q. E. f.

PROOEMIUM.

Frequentissima olim apud Romānos fuere Asyla, quæ miseri & innocentibus, qui aut humana fragilitate, aut casu nocuerant, tutissima erant loca refugii, ita, ut Nemo ad ea confugientium, inde invitus extrahi potuerit. Dico innocentibus; per quos intelligo nullo animi propositio delinquentes. Iis enim non immerito cùm Iure divino, Deuter. 19. Num. c. 35. v. 6. 12. & seqq. Iosua c. 20. tūm humano l. 6. & t. t. C. d. His qui ad Ecc. conf. in ejusmodi locis exhibetur securitas. Nocentibus autem, qui ex ~~negligētō~~ seu deliberato animo crimina perpetrant, non patrocinatur Asylum. Quos ipse Sacer Codex, Exod. 21. v. 14. Deuter. 19. v. 11. & seqq. capi & eripi jubet. Sed huic contrariari videtur Ius Canon: quod immunitatē hanc, ad innocentes duntaxat restrictam, etiam ad santes extendit, dum (exceptis Latronibus & agrorum depopulatoribus, c. inter alia 6. d. immunit. Ecc.) sceleratis hominibus, puta Virginum Raptoribus, aliorumque Criminum reis expressè pollicetur securitatem, c. de raptoribus 36. quæst. 1. confer. Vultei. ad §. 1. num. 5. Inf. de his qui sui vel. al. Jur. sunt. Per quod non modò Iustitiae opus impeditur, & Judici seculari ad animadvertendum in facinorosos via præcluditur, sed Ecclesiæ, Coemetria, Hospitalia, Palatia Principum aliaque pia loca, privilegio securitatis manita, Latronum speluncæ redduntur. Quamvis etiam dici possit, hunc non esse Iuris Canonici scopum, sed id saltem velle, ne ob reverentiam loci pii, absque licentia Judicis Ecclesiastici delinquentes eò confugientes extrahi possint, neve in locis sacris causa sanguinis agitetur c. 5. d. immunit. Ecc. Et enim legimus in

codem Jure Canonico, quod verè delinquentes non attentis Asylis
legitimè sint puniendi, c. 6. & ult. d. t. quod dolus nemini patroci-
nari debeat suus, c. 7. cod. & quod occidentes per industriam &
insidas ab altare evellendi sint morteque puniendi, c. i. de Homic.
volunt. & casuali. Confer. Carpz. q. 110. n. 91. Ungeb. ad iit. de immu-
nit. Eccl. n. 4. Sed quicquid ejus sit: Nobis certum est nullum Ma-
gistratum in poenis moraliter determinatis ullà ratione Jure conni-
vere posse. Cœterum de quærentibus Asyla res hodiè satis est ex-
pedita, quippe qui, cum magis ad aliorum injuriam, quam ad sui
defensionem ad Principum statuas confugiant, l. 28. §. 7. ff. de
pæn. meritò patrocinium inveniunt nullum, ne tot malis & scle-
ratis hominibus civitates, imò integræ Regiones opparentur.
Sicut nunc tam in Germaniâ quam Galliâ consuetudine introdu-
ctum, inque toro Christiano orbe receptum conspicimus, ita, ut
delinquentes in quavis loco à Magistratu seculari capi & ad forum
perduci queant, vid. Philip. Uſus Praef. lib. 1. Eccl. 42. n. 5. jung. Fa-
rinac. in pmax. crim. lib. 1. tit. 4. q. 28. n. 75. Magistratus siquidem
omni studio curare debet, ut provincia sit pacata atque quieta, &
à malis Hominibus libera. l. 3. & l. 13. pr. ff. de Offic. praefid. Peccat
igitur graviter in salutem Reipublicæ, qui peregrinos ad se fugien-
tes, neque de crimine alibi admisso punire vult, neque in subsidi-
um reposcentibus Principibus restituere, sed potius eos ad malefici-
cia proſilire patitur, juxta l. 14. C. de pæn. Cum tamen Reipublicæ,
cui post Deum immortalem omnia debemus, maximè interfit, ne
delicta maneant impunita, l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. Et ad exem-
plum publica ultionis, & ad pœnarium utilitatem omnium maximè
pertinere videtur, ut in iis locis, ubi peccatum est commissum, supp-
licium quoque sequatur. Autb. quia in provincia &c. C. ubi de crimin.
Unde laudandum egregium factum Muhamedis Imperatoris Con-
stantinopoleos, qui magnus fuit appellatus, quod parcidam, qui
Julianum Medicem ante aras crudelissimè trucidarat, ab Urbe Con-
stantinopoli, ad quam confugerat, requirente Laurentio Medice,
& ipsâ Florentinorum civitate, vincitum remisit, poenis promeritis
subjiciendum, Bod. lib. 3. n. 362. de Republ. Quod etiam de Jure
Cryps

Civili apud Romanos in usu fuit, semperque delinquentes ad Judicem competentem, eo scil. requirente, fuere transmissi. De qua Remissione jam pro ingenii modulo acturus sum, Faxit DEUS Teropt. Maximus ut cuncta feliciter cedant!

§. 1.

Quoniam verò Remissio non simpliciter ob quodvis leve delictum, nec cuilibet Judicii cam petenti conceditur, sed certo quadam respecta & cautela. Quapropter, ne ineptus de proposita materia differam, priùs perlustrandum esse autumo, quicquid ad ejus explicationem pertinere videtur. Et primo loco examinanda erunt delictorum qualitates & differentiae; Secundo competencia & incompetencia Judicis; Tertio verò, & ultimo ipsam materiam aggressuram sum.

§. 2. Vox Delicti variis insignitur appellationibus, & dicitur modò delictum propriè sic dictum, in Rubr. Inst. de obligat. quæ ex delict. nasc. in rubr. & l. 1. §. 2. l. 2. pr. ff. de priv. delict. modò incivile factum, l. 3. ff. de exinzord. cogn. l. 2. C. de furr. & passim: modò maleficium in pr. & §. 2. 3. & 5. Inst. de Obligat. que quasi ex contract. nasc. in princ. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. l. ult. ff. de priv. delict. modò facinus, ut l. 20. ff. de O. & A. modò flagitium l. 123. ff. de Verb. Obl. l. 17. §. 1. ff. de Testam. tut. modò crimen §. 7. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc. l. 16. ff. de dolo. l. 45. §. 1. Locati. §. 10. Inst. de Injur. l. 131. §. 1. inf. ff. d. V. S. Ques nomina etsi pro Synonymis communiter accipiuntur, &c., vel secundum identitatem aut diversitatem rationis, quæ omnes dispositiones moderatur, amplientur ac restringantur, vel secundum subiectam materiam, unde regulariter omnisinterpretatio primò sumenda est, vel aliis modis promiscue usurpentur l. 33. ff. pro socio tamen nonnihil invicem habent differentiae. Consideratur enim Delictum tangquam aliquod Generale, teste gloss. in l. 1. C. siadvers. de l. & differt à criminis in hoc, quod delictum aliquando fit dolō & malā intentione, aliquando autem per ignorantiam, vel non malā intentione, see. l. 11. §. 2. ff. de pén. ibi, aut proposito, aut impetu, aut casu, &c. & l. ff. de Legib. ibi, &

sponte & ignorantia contrahi, & in l. i. C. & advers. delinq. & in l. 2.
f. de term. mot. inf. ibi, per ignorantiam aut fortuito. Crimen sine
dolo & malo animo non committitur, l. i. C. de siccari. ibi: crimen
contrahitur si voluntas nocendi intercedat, & l. i. ff. de extraord. crim.
l. 41. ff. ad L. Jul. de Adult. ubi adulterium vocatur crimen, quod dolo
& animo, non autem per errorem committitur. l. penult. ff. de adult.
l. 39. §. 7. ff. eod. l. 12. ff. ad L. Corn. de fals. ubi falsi crimen nominata
tur, quia sine dolō & malō animō non committitur l. i. eod. Maleficium
verō accipitur pro damno, injuria & facinore l. ex malef. 4 ff. de O.
& A. pr. Inst. de Oblig. q. ex delict. nasc. & pariter cum dolo & malo
animo sicut crimen contrahitur. Sed in eo à criminis differt, quia cri-
men nominatur omne id, quod per contentionem objicitur, unde cri-
minatio & contentio. Maleficium verō sine contentione dicitur.

§. 3. Delictum in genere sumptum, est quodvis turpe & illi-
citum factum contra Leges Reipublicæ sponte commissum, quo ad
prastandum quid patientur quis se obligat l. 25. §. 1. l. 4. ff. de O.
& A. confer. Sirvus Synt. Jur. Civ. Exerc. 48. th. 2. Obligamus eter-
nū non modò ex contractu, seu quasi ex contractu, sed & ex malefi-
cio, seu quasi ex maleficio, §. fin. Inst. de obligat. l. i. in princ. & l. 4.
ff. d. t. Nam delictis eadem est natura, quæ contractibus, quoniam
ex utrisq; aliquid debetur; quare & debita vocantur. l. 52. ff. de re
jud. Zanger, de except. p. 2. c. 1. n. 198. Si quemadmodum ex contra-
ctu aliquis adstringitur, aut ad aliquid dandum aut faciendum, pr.
Inst. de Oblig. ita delinquens facto suo videtur se obligare poenam, nec
non restitutioni, quia crimen non potest non esse punibile; ac qui
directè vult peccare, per consequentiam & penam mereri vult.
Propterea Imperatores Severus & Antoninus Asclepiadi rescripse-
runt: Ipse te huius pana subdidisti l. 34. ff. de Jure Fisci. Videlicet
sibi imputare debet, qui destinata voluntate & deliberato animo cri-
men aliquod perpetravit, ut poenam promeritæ fiat subiectus. Poen-
na autem non habet locum, nisi ubi est delictum. Intelligo deli-
ctum tale, de cuius corpore liquidò & vere constat. arg. l. i. §. 24. ff.
ad SC. Sillan, quod necessarium est requisitum & probè attendendum
in maleficio, l. i. §. 1. l. 52. §. 19. ff. de furt. quæ sola cogitatione &
volun-

voluntate non perpetrantur. Et nemo ob id, quod malefacere voluisse arguatur, in foro soli poenis sit obnoxius, per l. 18. ff. de pen. & Regulam universalem, quæ docet: quod in omnibus & quibusvis delictis, sive sint atrocissima nec ne, conatus, quantumvis ad actum proximum fuerit deuentum, ordinariæ eujusvis delicti poenâ non debeat puniri, Carpz. p. 1. q. 17. n. 13. præx. Crim. Exceptis criminibus iis, quæ publicam securitatem enormiter lœdunt, quale judicatur crimen Læsa Majestatis, cuius conatus & effectus eadem severitate punitur, licet non sicutus fuerit effectus, l. 5. C. ad L. Jul. Majest. cui accedit crimen fractæ pacis publicæ, quod itidem ob conatum, licet usus armorum non fuerit subsecutus, poenâ ordinaria coërcetur l. 3. §. 5. ff. de vi & vi arm. jung. Anth. Matth. de crim. tit. de pen. cap. 4. num. 13.

§. 4. Dividuntur autem delicta variè, (1) in Publica & Privata. *Publica* sunt, quorum executio cuivis ex populo plerumque datur, §. 1. Inst. de publ. Jud. omnibusque generaliter integrum est accusare, qui prohibiti non sunt. At non omnia delicta, quorum executio cuivis est populo permissa est, publica sunt, (siquidem hac ratione popularia quoque essent) sed ea tantum, quæ ex Legibus publicorum Judiciorum sunt taxata: ut ex Lege Julia Majestatis, Julia de Adulteris, Cornelia de Sicariis & Beneficiis, Pompeja Parcidiis, Julia peculatus, Cornelia de Testamentis, Julia de vi privatâ, Julia de vi publicâ, Julia ambitus, Julia repetundarum, & Julia de annonâ, l. 1. ff. de publ. Jud. quorum descriptiones Imperator Justinianus in Inst. §. 3. & seq. usq; ad finem de publ. Jud. ordine explicavit. *Privata* sunt in quibus potissimum lœsio privati attenditur. Et ex eo illi, cuius interest, apud Magistratum suum persequi licet actione civili. Struv. Synt. J. C. Exerc. 48. tb. 13. Ordinariè quidem actio civilis in privatis delictis conceditur, verum agitur nonnunquam ex privata lœsione etiam criminaliter, ad poenam nempe corporis afflictivam, aut multam fisco inferendam, ut in casu atrocis injuriæ §. 1. ff. de Injur. damni dati, coactis Hominibus. Zof. n. 2. ff. de priv. delict. (2) Delictum aliud dicitur *Verum s. Propriam*, quod callidò animo & malevolô proposito perpetratur. l. 71. §. 8. ff. d. acquir.

acquir. hered. §. 1. Institut. d. Obligat. quæ ex delict. nasc. aut Impro-
rium, quo citra nocendi animum ex culpa quadam præsumptâ
quispiam lœditur, v. g. imperitiâ & simil: (3.) Aliud delictum est
Ordinarium, aliud Extraordinarium. Illud vocatur, quod à lege
certam & determinatam habet poenam. Hoc, cui certa & deter-
minata poena præscripta non est, sed modò una, modò alia Magi-
stratus arbitrio pro varietate delictorum imponitur, arg. l. i. ff. d. fur.
baln. & l. i. ff. d. Extord. crim. Interim tamen accidit, ut etiam
ordinaria delicta extra ordinem puniantur, videlicet propter con-
gruentes circumstantias, ita delicta aggravantes vel minuentes,
ut alia poena, quam ordinaria infligatur, vid. Matth. Wesenb. in
panut. num. 3. d. priv. delict. (4) Delictum aliud dicitur *Nomina-
tum*, aliud *Innominatum*. Illud est, quod à Jure particulare &
determinatum habet nomen, ut furtum, adulterium & simil: Ex rei
enim alienæ contrectatione, & animo lucrifaciendi resultat delictum
furti, & ex fidei conjugalis violatione resultat delictum adulterii, &
sic de singulis. *Innominatum* contra est, quod certum aliquod
nomen à Jure Civili non accepit, ob multitudinem delictorum,
quæ certis nominibus insigniri haud potuerunt, quam plura sint
facta, quam vocabula. (5) Aliud delictum consistit in *omitten-
do*, aliud in *committendo*, *Omittendo* nim. id, quod fieri jubetur;
Committendo, quod facere legibus prohibetur. Ubi notandum,
quod delictum in committendo sit multò gravius, quam delictum in
omittendo. Farinac. de crim. lib. 1. tit. 13. queſt. 18. n. 23. Amb. Mat-
thei de crim. in prolegom. c. 4. n. 1. (6) Aliud sit *proposito*, aliud *im-
petu*, aliud *caſu*. l. u. § 2. ff. d. pén. (7) Aliud est *perfectum*, aliud *imperfectum*. *Perfectum*, cuius effectus omnino est subsecutus.
Imperfectum est, quod quidem inchoatum, sed ad finem non-
dum deductum est, & propriè conatus dicitur. Vultej. Jurispr.
Rom. cap. 45. vers. quin & illud. Præter enumeratas halce differ-
entias delictorum dantur adhuc plurimæ, inter quas & illa re-
fertur, quæ discrimen facit inter delicta levia, gravia, enormia seu
atrocia, item atrociora atque atrocissima. Verum quomodo hæc
ab invicem discrepant, & quæ vel levia vel atrocia dicantur, ex
con-

convenientibus qualitatibus & circumstantiis, facillimè aestimari ac dijudicari poterit, §. 9. *Inß. de Injur. l. 11. ff. de pæn.* Cujusmodi circumstantiae considerantur à Saturnio in l. 16. §. 1. ff. *de pæn.* septem modis, (1.) causa, (2.) persona, (3.) loco, (4.) tempore, (5.) qualitate, (6.) quantitate, (7.) eventu. Ex hisce ut plurimum gravitas delicti excrescere solet, adeoq; in inquisitione generali benè attendenda. Quare Nobiliss. Anibon, Matthæi de crim. has circumstantias, leve crimen grave efficienes, in tit. de pæn. cap. 4. diligentissimè executus est, easque uno alterovè exemplo illustravit.

§. 5. Communiter tamen in praxi illa delicta pro atrocibus & gravibus habentur, quorum cognitio atquè coercitio ad Jurisdictionem superiorum spectat, cui scil. competit merum imperium, sive Ius gladii. Leviora verò reputantur, quorum cognitio ad inferiorum Jurisdictionem pertinet.

§. 6. Occasione hâc de *Jurisdictione* quicquam differendum erit; de cuius descriptione Interpretes juris valdè sunt solliciti, atquè adeo invicem contrarias fovent opiniones, ut alter hōc, alter aliō modō eam definiat. Nos vulgari & communī definitione acquiescimus, quod nempe sit de qualibet re statuendi & statutum exequendi legitima potestas. arg. l. ult. §. fin. ff. *de Offic.* ejus cui mandat. est Jurisdict. l. 215. ff. *de V. S.* confer. Berlich. p. 1. Concl. i. n. 6. Quæ in genere sumpta dividitur in Jurisdictionem simplicem & imperium; & hoc iterum in mixtum & merum: ut sic tres constituantur Jurisdictionis species, Imperium scil. merum, mixtum & Jurisdic̄. l. 3. ff. *de Jurisdic̄.* Sed Jurisdic̄ simplex à mixto imperio separata non agnoscitur, seu conceditur, qua ut *Paulus* in l. ult. §. 1. ff. d. *Offic.* ejus cui mandat. est Jurisdict. asserit: *Jurisdictionem sine modica coercitione nullam esse.* Et in l. 1. §. 1. in f. o. d. dicitur: *Imperium Jurisdictionem coherere, & vicissim, ijsi imperio Jurisdictionem inesse.* l. 3. ff. d. *Jurisdic̄.* Unde rectè dicimus, quæcumque sunt Jurisdictionis, ea quoque sunt mixti imperii, & quæcumque sunt mixti imperii, ea quoq; sunt Jurisdictionis. Licit quædam existant, qua magis sunt imperii, quam Jurisdictionis. l. 4. ff. *de Jurisdic̄.* l. 26. ff. *ad municip.*

B

S. 7. Est

§. 7. Est autem merum imperium habere gladii potestatem ad animadvertisendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur ab Ulpiano l. 3 ff. d. Jurisdict. l. 215. ff. d. V. S. & L. 70. ff. d. R. J. Mixtum imperium, quatenus ei Jurisdictio inest, & Magistratus ordinario competit, est potestas coercendi contumaces & exequendi sententias. Dicitur vero magis imperium, quam Jurisdictio, quia non tantum in Jure dicendo, sed & in imperando, jubendo & exequendo versatur, vid. Matth. Wesenb. in parat. n. 7. de Jurisdict. Traduntur passim quoque aliae jurisdictionis divisiones, quarum alia est Voluntaria, alia Contentiose l. 2. ff. d. Offic. Procons. Illam appellamus cum Carpz. quae absque ordinariâ causa cognitione coram Judice quovis expeditri potest. Hanc verò, quæ non nisi eorum Judice competente, præviâ cause cognitione ordinariâ, venitiatuſ & peragitur, in proc. tit. 2. art. 1. n. 27. Quibus adiecit & tertia divisio Jurisdictionis, quod alia sit ordinaria, alia delegata, quæ etiam mandata, l. 6. ff. d. Jurisdict. seu data appellatur l. 2. cod. alia prorogata. Ordinaria est, quam quis vi officii ordinarii & suo Jure habet. l. 5. ff. d. Jurisdict. Et consequebatur eam olim vel per legem, vel per populum, vel per consuetudinem. Legis & populi Jus hodiè Princeps ad se transtulit, per l. 1. pr. ff. d. Constat. Prince. l. 1. & seqq. C. d. Legibus, penes quem dicitur omnis Jurisdictio, & ab eo velut perenni fonte in reliquos Magistratus fluere, l. un. prine ff. ad L. Jul. de ambitu. Consuetudine quoque Jurisdictio acquiritur, quia habet vim legis, l. 25. ff. d. Municip. & præscriptione, l. 3. C. d. divers. offic. & quidem inter presentes 10. annis, inter absentes 20. arg. l. ult. C. d. præscript. long. temp. Struv. Synt. J. C. Exere. 13. ib. 394 Nostris moribus & Jure Saxon. Jurisdictio præscribitur instar Jurium & rerum soli annis; 10. & uno.

§. 8. Jurisdictio delegata seu mandata vocatur, quæ aliqui ex commissione Judicis competit l. 5. ff. d. Jurisdict. Causa urgens, ob quam Jurisdictio aliis fuit mandata, videntur esse concatenatae expeditiones, quibus ex crescentibus, tam Magistratus Urbani, quam Provinciales existebant insufficientes. Inde enim cogebantur, non ea, quæ sunt meri imperii, nam illa nequit quam mandantur,

dantur, neque mandata Jurisdictione transiunt, quia speciali Legi
Senatus Consulto, aut Principis Constitutione sunt concessa. *I. i. pr.*
ff. d. offic. ejus cui mand. est Jurisdic^t. S. l. 70. ff. d. R. f. sed ea tantum,
qua Jure Magistratus competunt, *d. l. s.* videlicet jurisdictionem Ma-
gistratui ordinariam. *I. i. §. 4. d. sub off. Tur.* mixtum imperium, *I. i.*
S. ult. I. fin. §. 1. ff. d. Offic. ejus cui mand. Sc. imo omnia, sine quibus
jurisdictione exerceri haut poterat. *I. i. ff. d. Jurisdic^t.* idoneo cuidam
delegare. Dixi idoneo: quippe quod ad hujusmodi munus non
omnes admittuntur, sed arcentur plurimi, non ex eâ tantum ratio-
ne, quod infirmum habent iudicium, sed etiam quia receptum
est, ut civilibus officiis non fungantur; Exindeque iudices dari non
possunt, licet is, qui dandi ius habet, eos dare velit. Cujusmodi
habentur, qui vel naturâ, vel lege, vel morib[us] impediuntur, per
I. i. 2. §. 2. ff. d. Judic. Restat, ut etiam disquiramus, à quo delegari
jurisdictione queat. Quod similiter non à quovis iudice fieri potest,
sed tantum ab Ordinariô, seu, ut antea mentionem feci, ab illô,
qui eam suo jure habet, non autem beneficio alieno. *I. i. ff. d. Juris-
dic^t. I. fin. ff. de Offic. ejus cui mand.* Talis enim propriè jurisdictionem
non habet, sed alterius nomine eam exercet, *I. i. §. ult. ff. eod.* nisi vero
ipsi in specie iubellegendi potestas à Principe fuerit concessa *Zes.*
v. 46. ff. d. Jurisdic^t. Quod exercitium jurisdictionis non perpetuo
apud Delegatum remanet; sed eò uititur, donec iterum adimatur. Ad-
mititur siquidem (1.) Revocatione mandantis, *I. i. 58 ff. d. Judic. I. 6.*
§. 1. ff. d. offic. Procons. re tamen adhuc integrâ, nec fortassis per ci-
tationem inchoatâ. (2.) Morte mandantis, (3.) Morte mandata-
rii, (4.) Tempore certô præscriptiō. vid. *Dn. Struv. Synt. J. C.*
Exerc. 4. th. 43.

§. 9. Consideratis hactenus duabus jurisdictionis specie-
bus, utpote Ordinariâ & Delegatâ. Nunc transiutum facimus ad
Tertiam speciem, scil. jurisdictionem prorogatam, quâ quis jurisdictionem
alicui publicè datam prorogat, sive ex legis permissione
eum competentem iudicem facit, qui alias non erat, *I. i. C. d. Juris-
dic^t. I. 18. ff. eod.* Quæ commodè cum Bachov. ad Wieseb n 8. d.
jurisdictione dividi potest in spontaneam & legalem. Spontanea sit con-
fusa vel expressio vel tacitô: Illo modo prorogatur jurisdictione,

quando partes expresse consentiunt in Iudicem non suum, l. ff. de
Judic. Si tamen sciant non suum, d. l. 2. alias errantis nullus est con-
fensus l. 15. ff. de Iurisdict. Hoc modo fit prorogatio per litis contesta-
tionem ejus, qui alias forum declinare posset l. 4. C. Iurisdict. quippe
quando quis patitur se convenire coram Iudice quidem, sed incom-
petente, coram eo respondendo, omissa exceptione declinatoria
item contestando, exceptionem dilatoriam proponendō.
Etenim qui omittit exceptionem declinatoriam, in Iudicem con-
fensus videtur, neq; eum recusare potest. Legalis non tam fit con-
fensus, quam lege ita disponente, ut, qui contra me in Iudicio agit,
cogatur eundem Iudicem contra se admittere, in quo residet funda-
mentum Reconventionis. l. u. §. 1. ff. de Jurisdict. l. 14. cum Avth. Et
consequenter, C. de sentent. & interl. junct. a Nov. 96. cap. 3. §. 1. Quod
procedit non tantum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus,
modo is, cuius Iurisdictio prorogatur, habeat Iurisdictionem in ejus-
modi causis civilibus & criminalibus, vid. Andr. Gail. lib. 1. c. 12. n. 10. de
pace publ. attamen intelligendum hoc est, quoad praedictum ipsius
prorogantis, non quoad interesse publicum, cui partes derogare
non possunt, arg. l. 7. §. 14. ff. de pacis. Unde si Reus in loco proro-
gationis fuit absolutus aut condemnatus, poterit nihilominus in
loco delicti iterum accusari & condemnari. Coeterum etiam con-
stat, quod hodiē iudices competentes, quando partes in causis
Iurisdictionem prorogare cupiunt, non raro soleant prote-
stari, pricipue si deprehendatur praedictum exinde sibi enasci
posse.

§. 10. De harum specierum diversitate Interpretes Iuris
Civilis plurima scriperunt, camquè latè ac tædiosè etiam, nonnun-
quam ac superstitione explicarunt. Quæ tamen plurima ac ferè
dixerim omnia ipsa temporum vetustate exolevere, longaque per-
mutata sunt die. Nam sicut hodiernus dies aliam vitam & alios
mores, ita alias haut immerito quoque postulat leges, ac proinde
ipsa Iurisdictio Magistratumq; potestas hodiē immutata est. Qua
de re Siruv. in Synt. J. C. Exerc. 4. lib. 79. & seqq. vocem Iurisdictionis
secundum mores hodiernos tripliciter consideravit, egregieque
dis-

discussit. In Romanâ civitate quidem Magistratui potestas Iurisdictionis concedebatur, vel speciali lege, Senatus Consulto scil. Principalive Constitutione, aut Iure Magistratus concessi competit. l. i. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisdictio. Sed hodiè feudi Iure plerumq; & territorii lege Successoriâ in perpetuum Ducibus, Comitibus, aliisq; Statibus competit & ad Hæredes transit. Et sic per hoc omnis Iurisdictio hodiernis Germania moribus mutata duplex prohibetur, *criminalis & civilis*. *Criminalis Iurisdictio* est nihil aliud, quam delictorum capitalium animadversio & coercitio; quâ ratione hodiè pro uno eodemq; sumitur Ius gladii & per consequens merum Imperium, & Iurisdictio superior. Quam variis passim appellant nominibus: utpote in Franconia vocatur Zent/Zentbarkeit/Zent-Gerechtigkeit/Zent-Recht/Malefizische-oder Zentbarliche Obrigkeit; in Bavaria & Vicinia nominatur: Die Freiheit/hohe Freiheit/Freifliche Obrigkeit/ alibi: Blutbann/ hohe Gewalt/ hohe und halßgerichtliche Gerechtigkeit/ Halß-Gerichte/ Zentfälle/ Höchstgerechtigkeit/in Saxonia: Peinliche Gerichte über Haupt und Haar/Halß und Haupt/ Zentgerichte/ Hochgerichte/ Obergerichte/ Item Vogtsey über das Malefiz. *Carpz. pr. crim. p. 3. q. 109. n. 10.* *Civilis Iurisdictio* est, quæ ad rerum civilium cognitionem & animadversionem pertinet, & ad eam referuntur, quæ de Iure civili sunt simplicis Iurisdictionis seu mixti Imperii. *vid. Matth. Webner. in pract. observ. sub voc. Zent nominarique Germ.* solet: *Die Nieder- oder Mittelbare Obrigkeit/Untergerichte/Erbgericht/über Bild und Schuld/quandoq; vocatur: Vogteiliche Obrigkeit.* *Idem Carpz. loco cit.* Et hæ Iurisdictionis species hinc inde recepta sunt, adeò, ut vix deprehendatur aliquod tribunal, vel aula Principis, ubi non sint in usu. Tot quoque Iurisdictionis species fermè ubique reperiuntur, ut non sine summa difficultate distinguiri explicari singulæ queant. Qua de causa solus fori usus, coniunctudo & conventio suggestit cynosuram. Et rectius sentit, *Adam Keller. lib. 2. & Offic. Jurid. Polit. cap. 12. dicens: Tām*

incertæ hodiè sunt de iurisdictione opiniones, variæque conservetiones ac obseruantæ, ut in hisce maximè necessaria foret certa quædam pragmatica sanctio & constitutio Imperii. add. Carpz. in Proces. Crim. Inquisit. Tit. 1. art. 2. in verb. So seyn unterschiedene species der Gerichtsbarkeiten auffkomm'n und eingeführet/ als: die hohe Vogteiliche / Niedergerichtliche / Zent / Freiſlische / Forſtliche / Geleitliche Obrigkeit / Ehehaftinnen / die vier hohe Wände / und wie die mehr heissen / so anderer Orten mit frembden Nahmen genennet / auch auff so vielfältige und mancherley Art unterschieden werden / daß hievon einige Gewißheit zu treffen ganz unmöglich / und mehr auff den eingeführten Gebrauch jedes Orts/ als auff einigerley allgemeines Recht zu sehen.

S. 11. Ceterum in terris Saxonis res hac adeo intricata, tantisque difficultatibus obnoxia non est, sed juxta opinionem omnium Doctorum Saxon. Iurisdictio in duas tantum species distinguitur, in Altaam sc̄e superiore, & Bassam sc̄e inferiore. Alta Iurisdictio, Germ. Obergerichte / Peinliche Gerichte / Hals-Gerichte / Item Blutbann / est potestas jus reddendi à Superiore concessa in causis criminalibus & delictis gravioribus. Bassa Iurisdictio, (die Erb-Nieder-oder Unter-Gerichte) est potestas Ius reddendi à Superiore concessa, in causis civilibus ut & minoribus delictis. Qua autem species Iurisdictionis alicui competit, ex literis investiturarum & concessionum est discendum. Quid si vero alicui v. g. Vasallo Iurisdictio simpliciter, nullā facta mentione & determinatione superioris aut inferioris, fuerit concessa, intelligitur ne quoque concessa superior Iurisdictio? Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 4. th. 80. regulariter negat, & specialem despicer exigit concessionem. Nos cum B. Carpz. in proceſ. Crim. Inquisit. tit. 1. art. 1. in verb. da auch der Lehnbrief &c. afferimus: Nullum esse dubium, quin vocabulum generale utramque Iurisdictionis speciem comprehendat, ita, ut Vasallus non modo debassā, sed etiam altis-

Iuris-

Iurisdictione fuerit investitus. Sunt enim ejusmodi Concessiones & privilegia Principis i on restringenda, sed extendenda & latissime interpretanda, sec. l. 3. ff. de Conficit. Princ. atque imputandum est Domino de Iurisdictione aliquem investienti, quod legem contrahens non verbis apertioribus scripsit, l. 39. ff. de pact. In hanc sententiam multi Dd. descendunt, vid. Matth. Wesenb. conf. 95. n. 18. & seqq. Mattheb. Coler. de proc. exercit. p. 2. o. b. n. 156.

§. 12. Causa verò & actus vel ad superiore aut inferiore Iurisdictionem pertinentes regulariter non sunt definitæ, propter diversa statuta variasque consuetudines cuiusvis loci, à quibus nullatenus recedendum est. Et quilibet bonus Iudex ex iis definire debet, an cognitione atque coercitio delicti ad altam seu bassam Iurisdictionem spectet. Alias ad Iurisdictionem superiorem referantur omnes causas, qui de Iure civili ad merum & mixtum imperium spectant, quippe quando pena concernit ablationem vitae, amputationem manus, aut alterius membra, item ut dici solet: Wenn die Klage ein Haut und Haar gehet/hoc est, quando ascendit ad Iustificationem, cui additur & Relegatio. Inferior seu bassa Iurisdictione complectitur non tantum ea, que de Iure civili ad mixtum imperium referuntur, sed & que multa pecuniaria & carceris poena coercentur. Ex hisce similiter omnis Iudex astimare debet, an delictum commissum ad suam vel aliam Iurisdictionem spectet, juxta l. 5. ff. de Judic. Sed ne res sit dubia & incerta, ad specialem recurrit aus: Constitutionem Elector. Saxon. de anno 1534. promulgatam, & anno 1555. repetitam, subtit. Was zu Ober, Nieder und Erb. Gerichte gehören, atque ex ea perimus informationem. Cui Ordinationi seu Constitutioni, quoniam omnes ac singuli causas in ea comprehensi non fuere, ad consultationem Illustris Domini Electoris Saxon. Scabini-Lipsiensis plurimos causas ad superiorem & inferiorem Iurisdictionem pertinentes adhenderunt, ut legere licet apud Carpz. in pr. crim. p. 34. q. 109. n. 32. & seqq.

§. 13. Tantum de differentia Iurisdictionis. Progredimus ad personas, in quas Iurisdictione exerceri potest. Constat est l. 10. ff. de Iurisdic. & ter. sit. C. Ne quis in sua causa jus dic. quod nemo sibi aus

suis

suis, seu in propriâ causâ jus dicere debeat, nisi partium voluntate
datus & electus fuerit Iudex, l. 77. de Judic. & causa officium, quod
gerit, concernat, Struv. Syst. Jur. Civ. Exerc. 4. lib. 56. neque superio-
ri aut æquali, nisi sponte se subjecerit, l. 4. ff. de recept. arb. l. 14. ff. de
Juriadict. l. 13. §. tempestivum 4 ff. ad SC. Trebell. neque de rebus ad
sua m. Iurisdictionem non pertinentibus, arg. l. 16. ff. de Jurisdict.
Ideoque nullam habet efficaciam exercitum Iurisdictionis, nisi in
eos exequatur, qui Magistratus territorio sunt subjecti, l. 3 ff. de offic.
præsid. Est enim territorium Universitas agrorum intra fines, cujus-
que civitatis, dictum ab eo, quod Magistratus ejus loci intra eos fines
terrendi, id est submovendi Ius habeat, l. 239. §. penult. ff. de V. S. Extra
illud jus dicenti impune non paretur, l. fin. ff. de Jurisdict. quoniam li-
tigare coram Iudice incompetente, est litigare coram homine priva-
to, qui jus dicendi non habet, vid. Zang. de except. p. 2. c. 1. n. 2. Non ob-
stat l. 5. ff. de Judic. sed sufficit Iudicem tempore litis l. accepta fuisse
competentem, licet Reus postea mutet forum, l. 19. ff. de Jurisdict.

§. 14. Competentia Iudicis æstimatur ex persona Rei, qui
est is, contra quem, etiam invitum, Iis seu actio in Iudicio institui-
tur, Germ. Beklagter / & in specie in criminalibus : Angeklagter/
peinlich Angeklagter. Actor e contra est, qui aliquid in Iudicio pe-
tit, seu qui ab aliquo sibi dari aut fieri aliquid intendit, ac prius ad il-
lud provocat, germ. Kläger/ in criminalibus appellatur in specie
Ankläger. vid. Struv in Jurispr. Rom. lib. 4. t. 3. Igitur si quis contra
adversarium experiri vult, debet id fieri coram Iudice Rei compe-
tentem, juxta tritam Regulam: Actor sequitur forum Rei, non Reus
forum actoris. Quæ attenditur non minus in criminalibus atq; civili-
bus. l. 5. C. de Jurisdict. I. ult. C. ubi in rem actio. Significat autem fo-
rum non locum rerum venalium, sed locum Iurisdictionis, in quo
Iudicia seu lites exercentur, quomodo Cic. pro Sæc., 5 lib. 12. ad At-
ticum de Quintiliano passim. Unde Ius fori, l. 7. ff. qui satis d. cog. di-
spuratio fori, l. §. 5. ff. de Or. Jur. præscriptio fori, d. l. 7. & L. ult.
C. de Jurisd. Quod quis sortitur vel ex Iure communi, vel ex privi-
legio. Ex illo jure quinque modis, (1) ratione patriæ & domici-
lii, (2) Contractus, (3) Delicti, (4) Rei sitæ, & (5) continentiae causæ.

Ex

Ex hoc forum Reo competit, vel ratione causarum, vel ratione conditionis personarum. *Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 9. tb. 13.* De quibus singulis ut in specie hic agatur, nostri instituti non est, cum pleraque ad causas civiles spectent; sed saltem examinatur sumus, quodnam forum in causis criminalibus sit competens, quodque modis delinquens forum sortiatur. Quā in re Interpretes Juris variant, omniaque confuse tractant, dum modō tres referunt modos, forum in criminalibus competens constituentes, nempe *locum delicti*, *locum, ubi lis est contestata & locum, ubi latitat Reus*: modō quinque sc. *personam, causam, rem ipsam, tempus & locum*. Verū ex hisce nihil certi haurire licet. Igitur amplectimur recentiorum Doctorum opinionem, consuetudine hodiernā approbatam, quā triplex constituant forum: videlicet, (1) *forum domicilii*, (2) *delicti commissi*, (3) *deprehensionis Rei*. *I. i. C. ubi de crim. confer. Anth. Matthaei de crimin. tit. de accusat. c. 5. n. 3. Ben. Carpz pr. crim. quest. no. n. 8.* Nullam itaque delinquens allegare potest exceptionem incompetentiæ, in quounque horum vel accusator pro libitu ipsum accusare, vel Index atque Magistratus inquirere & punire velit: attamen præventioni locus concedendus.

§. 15. *Forum domicilii* Reus sortiri dicitur eō in locō, ubi habitat eō animō, ut ibi perpetuō constat, & unde non rursus sit discessurus, nisi quid avocet. *I. 7. C. de incolis, l. 190. l. 203. ff. de V. S. l. 65. ff. de Judic. Andr. Gail. lib. 2. observ. 35. n. 8. add. Dominus Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 9. tb. 20.* Non abs re dimimus ubi habitat, ne forsitan competentia hæc trahatur à quopiam ad domicilium naturale seu originis, quod olim filius vel libertus habebat, ubi Pater vel legitimus Patronus ejus erat civis seu municeps, ac ubi filius natus esset, *I. i. pr. §. 1. & 2. l. 6. §. 1. seq. l. 15. §. 3. ff. ad municip.* illud enim hodiè ex Generali Germaniae consuetudine non amplius in usu est, nec attenditur, nisi Reus ibi deprehendatur, *vid. Carpz. loco alleg. num. 10.* Constituitur aut probatur domicilium non ex sola domus inhabitatione, *I. 17. §. 13. ff. ad municip. l. 5. §. 3. in f. ff. de capt.* & postlim reversus

C

neque

neque sola cōtestatione, sed animō, qui constitit in voluntate
seu propositō permanendi, & ipso factō seu actuali habitatione,
l. 20. l. 27. §. 2. ff. ad mūnicip. l. 7. C. de Incol. Communiter au-
tem certissima domiciliū probatio inferri solet, si quis in civita-
te aliqua Jus Civitatis, dqs Bürger-Recht, impetraverit ac ibidem
habitaverit. Carpz. lib. t. resp. 21. num. 17. Quando verò ignorar-
mus, ubi quis domicilium suum constituerit, tunc domiciliū cer-
titudo ex urgētib⁹ conjecturis petenda est; de quibus planissi-
mē tractavit Johan. Zanger. de except. p. 2. c. i. Sed latitante Reō,
aut Vagabundō existente locus est Editali citationi, & affigi
solet præprimis in illā civitate, aut eo loci ubi vagabundus aut
solitus est conversari, aut ubi ipsius bona, si quæ habet, sita sunt,
quō casu à Magistratu ejus loci Curator bonorum constitui de-
bet, qui absens bona prœcuret & observet, maximè idēo, ne ali-
bi commorandi accipiat subsidia. Gail. lib. i. obs. 57. nam. 4. &
Carpz. d. loco. Nam extra omnem dubitationis aleam est, Reum
eo loci, ubi domicilium, aut maximam partem bonorum habet,
legitimè conveniri posse ob delictum etiam alibi commissum, non
solum si ibidem deprehendatur, (de quo forsitan minus est dubium),
Zang. d. l. num. 245. quā ratione tam inquisitoriè, quam per viam
accusationis adversus eum agi potest: nequè enim tam locus do-
miciiliī, quam deprehensionis tūm attenditur,) sed & quando
absens, aut fugitivus est delinquent, si accusator ad bannum age-
re velit. idem Zanger. d. l. num. 246. Proff. Farinet. de crimin.
lib. i. q. 7. n. 1. & 2. Carpz. in proc. Inquisit. Crim. tit. i. art. 3. cuius
verba hæc sunt, Wird demnach erſtlich rechtmaßiger Weise
inquiriret von der Obrigkeit/ oder Gerichten/ darunter
der Delinquent wohnhaftig und gesessen / oder sein Domi-
ciliū ersanget / wann schon die Ubelthat anderswo began-
gen worden.

S. 16. Alterum forum in causis criminalibus Reus forti-
que ratione delicti commissi: in cuius enim territorio quis deliquit,
ibi

ibi expectet Judicium, cui delinquendo se subjicit, l. 3. ff. de Officio
presid. l. 7. §. penult. & l. fin. ff. de accusat. l. 7. ff. de custod. reor. Nov.
69. cap. 1. l. 19. ff. Judic. ita, ut domum revocare nequeat, omninoque
cesset privilegium. Autb. qua in provincia Et c. C. sibi de crim. l. 1.
in f. C. Ubi Senat. Nuncupanus autem locum delicti non respectu
damnum inferentis, sed damnum passi, quoniam in delictis po-
tius qualitas patientis, quam agentis consideretur. arg. l. 43. ff. de
situ nupt. Zanger de except. p. 2. c. 1. n. 233. Itaque si Maxius stans
in territorio Titii, lapide feriret Cajum stantem, aut procumber-
tem in territorio Seji, ut interiret, tum locus delicti non reputa-
tur is, ubi Maxius seu delinquens stetit, sed ubi Cagus ex ictu
lapidis fuit interemptus. Ex illo enim loco delictum accipit formam,
per quam dicitur esse delictum arg. l. 9. §. 3. ff. ad exhib.
Et quando delictum in uno loco fuerit inchoatum, in altero vero
consummatum, quemvis locum pro delicti loco accipimus, ita,
ut utriusque loci Judex de eo, ratione admissi habeat cognitionem
atque coercionem. Sic exempli gratia, quando puella rapta
in Perusino territorio, comprimatur in ditione Carbonensi, uter-
que Judex pro competente habetur; & Judex Perusinus quoque
Raptorem ob attentatum punire potest, ac Carbonensis propter
crimen in suo territorio consummatum.

§. 17. Anceps inde agitari solet quæstio: Quisnam sit
Judex competens, si cades in confinio sit facta, ita ut non constet
in cuius ditione fuerit commissa? De quæstione hac Interpretes
Juris maximè invicem controvèrtuntur, variasque insuper fovent
opiniones. Alii cognitionem deferunt ei, in cuius territorio ca-
put repertum est. Zanger de except. p. 2. c. 1. num. 238. Alii con-
tra eum præferendum censuerunt, cujus terram pedes ressere,
uti refert Carpz. in prax. Crim. p. 3. q. 110. num. 31. Alii judica-
re volunt ex eo, ubi cor, seu pars corporis, que cor comple-
xitur, reperitur. Alii opinantur utrumque cognoscere posse.
Sed item hanc ita dirimendam esse puto, ut præferatur ille,
qui priùs inquisitionem formaverit, seu qui alterum prævenierit.

C 2

Et

Et hæc ultima sententia mihi rectior visa est. Nam qui caput spectant hac nituntur ratione, quod caput pars principalior corporis humani sit. l. 44. ff. d. Relig. & sumpt. fun. Qui pedes, illi probare conantur ex hoc fundamentō, quod præsumendum sit trucidatum in illō territoriō stetisse, cùm gladiō vel aliō quovis telō transfigeretur. Qui cor spectant eorum argumentum videatur hoc esse, quod cor pro præstantissimō & principalissimō corporis humani membrō habeatur, quippe quod tanquam fons humanae vite sit primum in vivendō & ultimum in moriendo. Attamen nullius argumentum ad demonstrandum id, quod intendit, existit sufficiens, sed quod liber infirmō nititur fundamentō. Etenim non statim sequitur, cor vel caput principale aut potentissimum in homine membrum est, ergo Homicidium in hoc vel illō territoriō, ubi repertum est, commissum erit. Neque ex hoc sequitur in illō territoriō trucidatum necessariō accepisse plagam, in quo pedibus incubuit. Sed varie jactantur moribundi, & rarissimè contingit, ut citra ullam agitationem, aut motum vulneratum corpus rectā procumbat, aut protinus corruat. Ergo in re ambigua assumimus eam sententiam, quæ magis vindictæ favet; quam plurimi quoque Interpretes amplexisunt. Et firmum manet, quod paulò ante dixi, nempe præferendum esse eum, qui prior inquisitionem instituit. De quo nonnulli ambigunt, num ad citationem, an verò prehensionem referendum sit; Responsio est in promptu, scilicet prehensionem magis referri debere, quia realis præventione per capturam personæ præfertur anteriori verbali. Qua ratione judex, qui in apprehendendo Reo prævenit, potest excludere Judicem ratione citationis. Et Judex, qui malefactorem in manibus tenet, potest sententiam execui, quod facere prohibetur, qui verbaliter tantum citavit, confer. Prosp. Farinac. lib. I. Tit. I. quest. 7. num. 53. de crim. Anthon. Matthei de crim. tit. de accusat. cap. 5. num. 7.

§. 18. Proximus huic quoquè est quæstio: Quisnam sit Judex competens criminis in via publica perpetrati? Posset

ex

ex superioribus argumentum desumi & demonstrari, quod, cui
merum imperium, & facultas puniendi crimina publica in aliquo
territoriō competit, illi quoquā potestas cognoscendi ac coēcendi
crimina in viā publicā commissa concedi debeat. Sed hoc omni-
nō ita est, quandiu sermo est de iis delictis, quae perpetrantur in
viā, quae est in pagō vel civitate, non autem publicā, qualis ea-
dicitur, quae extra pagum vel civitatem est, quaque simul ac in-
gredieris pagum definit esse talis. Zanger. p. 2. c. 1. num. 242. de
Except. Nam cognitione delictorum, in viis publicis commissorum,
Dominis territorii Jure Regalium reservata est. Potest hoc con-
ferri peculiaris *Sanctio Electoris Saxon* de anno 1506. que ita habet:
*Wir verwöhnen/ daß nun hinsort unsere Unterthanen alle
Händel/ so sich auff den Strassen begeben/ da ihnen sonst
die Ober-Gerichte zustehen/ unverhindert von unsren Amt-
Leuten zu richten sollen haben/ und davon nichts ausgeschlos-
sen/ allein alle Gewalt-Sachen/ Raub und Zugriffe/ auch öf-
fentliche Vähdliche Thaten/ welches Uns aus Kraft der
Regalien und Fürstl. Obrigkeit zu richten zustehen/ wollen
wir Uns vorbehalten haben.* Coeterum ideo Principes talem
potestatem sibi reservant, ut Regiā quasi manu vias publicas secu-
ras & purgatas à Latronibus, prædonibus, plagiariis & furibus
teneant, l. 3. & l. 13. ff. de Offic. presid. Hinc nullō modō Magistra-
tus, summum imperium in aliquo territoriō habentes, sibi po-
testatem cognoscendi de crimine, in viā publicā admissō arrogare
possunt, nisi speciali concessione à Principe acceperint, vid. Ma-
gnif. Dominus Preses, Patronus ac Preceptor meus atatem devene-
randus, in tratt. de Juribus Majest. lib. 2. cap. 17. §. 30. & seqq. ubi de
hoc casu elegantissimè disserit.

§. 19. Sequitur tertium & ultimum forum, in quo ad-
versus delinquenter legitimē agi potest, & nominatur *forum*.
Deprehensionis. Quando delinquentis copia neque in foro do-

C 3. miciliū

miciliis, neque delicti commissi haberi potest, (quod foris per fugam alio se recepit) tunc accusatus, ubique terrarum reperitur ac deprehenditur, poenas dat. l. i. C ubi de criminis. Neque semper expectanda est accusatio, sed Judex ejus loci, postquam notitia de crimine alibi commissò ad eum pervenit, ad inquisitionem & coercitionem ejus est obligatus, si non ipsemet ex capite negligentia crimine haut levi se obstringere velit. Carpz. Proc. tit. 3. art. 2. num. 40. Maxime enim Reipublica intereat, ne delicta maneat impunita, l. 51. §. 2. ad L. Aquil. Et l. 3. l. 13 ff. de Offic. presid. expresse præcipitur, ut Praesides Provincia rum etiam extraneos homines, si quid commiserint, Latrones, Sacrilegos conquerant, convictosque legitimè poenam afficiant. Locum in primis habet, quando delinquens est persona fugitiva aut Vagabunda, quam propriè appellamus, quæ per mundum vagatur, nec certum habet domicilium in quo habiteret. Quocirca nullà exceptione incompetentia se tueri potest. arg. l. i. in verb. adeat Judicem. C in quib. caus. colon. cons. dom. accus. pos. confer. Joh. Zanger. de except. p. 2. c. 1. num. 250. Et hoc conforme quoque est Ordinationi Provinc. Saxon. de anno 1555. in eis. Von Unkosten der peinlichen Rechtsfertigung §. würden sie aber in verb. Und solches nicht allein auf den Fall wann die Verbrecher an denen Orten/ da sie verbrochen/ sondern außerhalb denselben in fremden Gerichten zu Gefängniß gebracht seyn ic.

§. 20. Ea vero, quæ de fori competentia in causis Criminibus hactenus differruimus, ita sibi locum vindicant, si non coercitio criminis specialiter certo cuidam Judicis competit; Sic ratione criminis *Simoniae*, quod est merè Ecclesiasticum, cognitio ad Judicem Ecclesiasticum, non ad secularem spectat, & hoc quoque in crimen *Heresios*, aliquisque causis spiritualibus atque Ecclesiasticis procedit. Ratione privilegii nonnulli peculiare fortuntur forum, utpote (1) Viri Illustres, qui aut summis dignitatibus functi sunt, aut honorariis à Principe Codicillis donati. Ex quibus

quibus illi accusantur in Consistorio Principis: Hi apud Prae-
ctum Praetorio, vel Praefectum urbi, vel Magistratum officiorum
jubente Principe. l. 3. pr. & §. Viros, 2. C. ubi Senat. vel Clariſ. (2)
Studioſi qui hoc gaudent privilegiō, ut non niſi in privilegiatō
foro conveniri poſſint. Sed intellige hoc, quamdiu in Academiis
vivunt, extra eas enim delinquentes ſuri communī ſubjacēt.

Magnif. Dn. Praefes de Jurib. Majeſt. lib. 1. c. 79. n. 32. (3) Milites, de
quibus quidem jura variant: Nam in Jure Civili iisdem modō
data est fori exceptio, l. 1. C. de Sicariis l. 2. Cod. Theodos. de exhib. reis,
modō adempta, l. ult. C. de acuſat. l. 3. pr. de remilit. Licet enim sine
qui diversas has ſententiās ex Jure Civili conciliare ſtudent, puni-
tūm tamen omne non videntur ferre, neque rem, ut decet, ſtrin-
gere. Propterea edoctus à *Magnif. Dn. Praefide noſtro statuo*, has
inter leges nullam aliam dari poſſe conciliationem, quām ex
temporum diſtinctiōne petitat, d. l. n. 28. Deinde in praxi eō re-
ſpiciebatur maximē, utrum miles delinquens apud signa repe-
riatur adhuc, an ab iisdem diſceſſerit: priori caſu Judex erat
competens Magiſter militiæ, non obſervatō utrum miles fuerit
in caſtris, expeditione, praſidiis aut hiberniſ nec ne; posteriori,
Magistratus cujuſque loci Judex dicebatur competens, idque praeju-
dicis conſirmat *iridem Magnif. Dn. Praefes d. l. §. 30. & 31.* Tandem
verò peculiari Sanctiōne Elect. Saxon. de anno 1673. hiſce Magi-
ſtratiſ impositum eſt, ut habitā & peractā inquisitiōne ac te-
ſtūm ſummaria probatiōne rem ad Superiorē referant, expe-
ciantes inde ulteriore informatiōnem. *ibid. §. 34. (4)* Clerici,
quibus privilegium fori tam in civilibus, quām criminalibus cau-
fiſ Jure Canonico indultum eſt, ut ſolum coram Episcopō ſuō,
non autem coram Laicō Judice, quamvis in ejus territoriō deli-
ctum pérpetraverint, conveniri poſſint, vid. *Joh. Zang. p. 2. c. 1. n. 225.*

§. 21. Ceterūm conveniuntur criminis Rei vel per viam
ordinariam, vel extraordinariam. Ordinaria via eſt, quando ad-
versus delinquentes propter commiſſum vel perpetratum deli-
ctum processus agitur ordinarius, per viam accusationis, & ſe-
cundum ordinem ac formam Juris, oblatione Libelli, Litis con-
teſta.

testatione legitimâ atque solenti, aliisque ad substantiam Processus ordinarii spectantibus probè observatis, ita, ut Judicis officium saltem in cognoscendo & judicando imploretur. A quâ viâ neque parti lœse querelam moventi, neque delatoribus publicis recedere integrum est. Delatores publici habentur illi, qui ex necessitate officii delicta Judici denunciant. Et ideo necessarii atque publici vocantur, quia specialiter ad hoc, nempe ut denuncient criminâ, sunt deputati, & juramento obstricti, quod manifestum est ex l. 6. ff. de custod. & exhib. reor. jung. Zanger. in tract. de quest. seq. tort. Reor. proœm. n. 16. & seq. Privilegium, quod gaudent ejusmodi Delatores, est hoc, ut nim. immunes habeantur ab inscriptione & subscriptione l. 7. C. de accusat. ad quam tamen accusatores coeteri tenentur. l. 3. l. 7. ff. eod. Quod hodiè immutatum est, & in ejus locum surrogata cautio de iniuriis & expensis præstandis in casum succumbentia, quoque accusator in carcere detinetur. Ordin. Crim. art. 12. Struv. Synt. f. C. Exerc. 48. th. 8. Multa sanè de accusatione & denunciatione (quotuplices nim. sint, quæque earum formæ & qualitates, & quomodo invicem differant) hic addere possem; sed ne diutius commodorem in præmissionibus, examinabo quoque breviter quomodo extraordinariè adversus Reum agatur. Interim verò benevolum Lectorem ad B. Carpz. pr. crim. p. 3. q. 104. 105. & 106. remitto, ubi ex professo de processu hōc ordinariō tractavit.

§. 22. Agitur autem extraordinariè adversus Delinquentem, quando Judex nullō existente accusatore, per viam inquisitionis summarie (unde processus extraordinarius, vel Inquisitorius vel Summarius dicitur,) & sublatō, quod dicitur, velō, absque longō litis sufflamine procedit, & ex officio adversus delinquentem inquirit, erique penam legibus definitam imponit, vid. Carpz. pr. crim. p. 3. quest. 107. num. 1. Farinac. de crim. lib. 1. tit. 1. quest. 1. Incumbit siquidem Judici ex officiō, ut motu propriō crimina vindicet, & de iis inquirat, ne delicta maneat impunita. l. 51. S. 2. ff. ad L. Aquil. Quo casu non sit accusator, sed quasi denunciante famâ, vel deferente clamore debitum sui officii ext. quitur

quitur Judex. *Nov. 128. cap. 21. l. 13. ff. de Offic. presid.* Famae vero non semper fides est habenda, quae ut plurimum fallax est & mendax, nec tamen quidem, cum aliquid veri afferit, sine mendacii suspicione est. *Zanger. in tract. de quest. seu tort. Recr. cap. 2. n. 82.* Quapropter Judicis partes sunt in tali casu diligenter spectare, an initium habet ex probabilibus causis, uti in *artic. 25. Ordin. Crim. Caroli V.* constitutum legitur, & an ab inimicis, malevolis & levibus hominibus, an vero ab hominibus fidei dignis, de quorum commodô & incommodô non tractatur, traxerit originem. *idem Zanger. d. l. n. 84. & 202.* Tuttio insuper patet via ad inquisitionem, quando nempe de evidentiâ facti & corpore delicti constat. Quia probatione quemadmodum in causis civilibus nulla est validior, adeoque cuique generi probationum præfertur; sic & in causis capitalibus ex hujusmodi evidentiâ senumero tale indicium oritur, quod ad inquisitionem & condemnationem accommodatur, de quibus consul. *B. Carpz. in pr. crim. p. 3. q. 107. & 108.* Licet vero de evidentiâ delicti constet, non tamen semper & indifferenter in omnibus delictis processus inquisitorius locum invenit, sed tantummodo in delictis atrocioribus & scandalosis, quibus Reipubl. ex tranquillitas ladiatur. Cessat quoque, quando accusator se se offert, qui viâ ordinaria experiri vult.

§. 23. Ad hæc notandum, quod adversus unum delinquentem in diversis Judiciis non possit per viam inquisitionis procedi, sed solummodo illi facultas inquirendi conceditur, qui ceteris prævenit, *l. 7. ff. de Judic.* præsupposito tamen hoc, quod Reus Jurisdictioni ejus sit subiectus, vel ratione domicilii, vel delicti, vel deprehensionis. Nemo enim debet conveniri & vexari coram pluribus Judicibus, cum processus prævenientis faciat silere processum præventi. Quod si vero absens sit Reus & res adhuc integra fuerit, lite scilicet nullibi contestata, nihil obstat Judicii delicti, quo minus Reum absentem per subsidium istius Judicis, ubi deprehenditur, vel si latitat Edicto publico in tribus distinctis trium Dominorum territoriis affixo citare,

D

& ad-

& aduersus non comparentem ad batnum procedere queat, propter prærogativam, quam præ coeteris Judicibus habet. *Farinac.* d.l.q.7.mun. i. Superat enim forum delicti in causis criminalibus omnia, fora alia sicut in civilibus forum domicili. Igitur requisitus Judex debet Reo injungere, ut in foro delicti copiam sui exhibeat; idque ob duas hascæ frequentes rationes. (1) Quia parati copia probationum haberi potest in provinciis, ubi delictum est perpetratum. (2) C. ubi de natioc. (2) ne extra provinciam coasti litigare, magnas expensas & sepè majores, quam res sit, facere cogantur, quod tamen minoribus fieri posset, si in loco criminis perpetrati vindicta institueretur. *Nov. 69. c. 1. Wesenb. ad Autb.* Quia in provincia C. ubi de crimin. Reo autem contumaeiter emanente & copiam sui præstare detrectante, Judex, qui eum detinet, obligatus est ipsum ad Judicem loci delicti suppliciis legitimis subjiciendum remittere. *Nov. 134. c. 4. & 5. add. Zang. de except. p. 2. c. 1. num. 247.* Que Remissio apud Romanos in viridi fuit observantia, inque Jure civili fundata perhibetur. *I. 3. ff. de remilit. I. 28. §. 15. ff. pæn. I. 7. §. 4. I. fin. ff. de accusat. Nov. 60. cap. 1.*

S. 24. Et adeò strictè observabatur, ut ubi Judex requitus Reum transmittere noller, ad id à superiore cogebatur. Unicum Superiorem duntaxat tunc temporis recognoscabant, sub ejus Imperio omnes erant Provinciæ Romanæ, l. 2. pr. C. de Offic. prefect. pret. Afric. Quare factum, ut si quis ex provinciis relegatus esset, non posset Romæ commorari, quia urbs Roma communis & omnium patria erat, l. ult. ff. de interd. & releg. l. 33. ff. ad municip. Hoc verò Jure Romani utebantur, ut Remissio omnium delinquentium etiam Vagabundorum, certò quodam domiciliō desitutorum, freret, non solùm proper sublationem scandalorum, sed etiam territionem aliorum ab iisdem facinoribus, utque solatio sit personis laesis, eodem loco poena redditia, quo crimen admissum. l. 7. §. ult. ff. de accusat. Remissio certè magis in vagabundo, quam non Vagabundo fieri debet, cum ea fiat sine injuria alicuius Judicis. Non ob-

obstante hoc, quod Vagabundus ubivis terrarum sortiatur for-
rum, & penitus sit subjectus; Sicque ex hac ratione remissio ad
locum delicti, etiamsi petatur, non videtur esse necessaria. Ve-
tum respond. Concedimus Vagabundum ubique locorum puniri
posse, nec Judicem, qui eum habet in manibus obligari ad re-
mittendum reum in locum delicti; Unusquisque enim tenetur
defendere suam Jurisdictionem: scil. hac limitatione: Si Ju-
risdictiones non sunt sub codem Principe, & imperia sunt di-
stincta. Quo casu de consuetudine non fit remissio, secus vero
quando judices sunt sub codem Principe, & multò magis sub eo-
dem Praeside. Farinac. d.l. n. 25.

S. 25. Quid autem hoc casu obtineat, quando delinquens
è loco delicti commissi fugiat ad locum, in quo suum habet do-
micum, an & tunc remittendus sit ad locum delicti? paucis
videbimus. Dixi supra §. 14. delinquentem triples sortiri forum
legitimum, sub quo etiam comprehenditur forum domicilii,
quod nulla exceptione incompetentia potest declinari, & Judex
ibidem legitimam habet facultatem de eo cognoscendi ac po-
nam injungendi, etiamsi delictum fui alibi commissum, ut liquef-
ex antecedentibus. Attamen hoc casu Doctores diversæ sunt opi-
nioris, alii negant, alii affirmant. Negantes sententiam suam cor-
roborare conantur ex Jure civili & Canonico, quod consuetudi-
ne introductum sit, ne remissio ad locum delicti sit concedenda.
Affirmantium verò sententiam æquorem esse, fortioribusque in-
nititi rationibus putamus. Satisque perspicuum fore ex allegatis
jam textibus, additèque limitatione Jurisdictionis, quod remissio
necessariò facienda sit, nisi Judex domicilii Judicem delicti præ-
venerit, sive per viam accusationis, sive inquisitionis; Et hoc mo-
do nullum est dubium, quin remissio Judici requirenti posuit de-
negari, ne scilicet Judicium reddatur elusorium. Non ubi semel
acceptum est Iudicium, ibi terminari debet, l. 7. l. 30. ff. de Judic.
Farinac. d. l. quest. 7.

S. 26. Aliquando etiam contingit, ut Reus postquam in
locè delicti absolutus, vel ex gratia Principis ipsi pena remissa
fuit, iterum in loco domicilii vel originis molestetur, & contra

ipsum de novo inquiratur. Sed male: Non enim plus, quam semel de uno criminis queri potest, l. 7. §. 1. ff. de accusat. l. 6. §. 4. in f. ff.
Nauta cap. Imo iniquum est, ut aliquis de uno crimen bis in accusationem deducatur, l. 9. C. d. accusat. Nec praes pati debet, ut qui semel criminis ac Judicio absolitus est, iterum de eodem accusetur, d. l. 7. §. 1. Licet quidam casus sint, quibus adhuc semel accusare licet, v. g. Si quis absolutus est tantum ab instantia & observatione Judicij, tunc enim si novae deduci possunt rationes, de quo accusari potest, vel si tantum est exemptus ex Reorum numero, l. 3. §. 1. ff. d. t. Carpz. pr. Crim. p. 3. p. 104. n. 60. Deinde in d. l. 9. C. de accusat, declaratur Regula: ut de eodem criminis Reus non possit rursus accusari, sed de alio crimen possit, licet ex eodem factō oriatur. Sic e. g. Aliquis commisit Latrocinium; de Homicidio fuit accusatus & absolutus: Hic nihil impedimento est, quo minus etiam ob spolium seu rapinam possit conveniri, ex ead l. 9. §. 1. d. t. Item si quis viciavit sororem alii nuptam: Et incestus est, & adulterium; utriusque igitur criminis Reus a diversis accusationibus fieri potest. l. 2. ff. de privat. delict. confer. Antb. Matthei tit. de accusat. cap. 3. n. 3.

§. 27. Quando igitur Judicess uni parent Principi, & alter, enim. requisitus est Superior, alter vero tanquam requirens Inferior; Tenetur ne etiam Judex requisitus delinquentem remittere ad Judicem inferiorem requirentem? Quod negatur per l. 13. ff. quibus ex caus. in possēt. l. 22. ff. de appellat. Curia enim major non remittit inferiori. Ut autem à Judice remissio legitimè fiat, Judicem requisitum ante omnia nosse oportet, utrum Judex requirens in delinquentem habeat Jurisdictionem an non? Deinde an delictum in ejus territorio sit commissum, an vero alibi? Hoc enim modis Judex non modo consequitur Jurisdictionem, sed etiam Remissionem de jure petere potest; Quibus cessantibus, cessat etiam Reinissio. Qua de re ut certior fiat. Index, qui reum detinet, opus habet summariā cognitione, antequam eum transmittat. Solet tamen plerumque Index requirens in literis requisitoris summatim delicti probationem inserere, ex

ex cuius gravitate & levitate dijudicanda est cōpetentia fori,
& per consequens remissio est decernenda, ut videre est apud
Carpz. p. 3. q. 110. n. 65. pr. crim. Farinae. d. l. quæst. 7. n. 35. in f.

§. 28. Ulpianus in l. 7. §. fin. ff. de accusat. ponit casum, quo delinquens ob plurima criminis in diversis Provinciis perpetrata ab uno Iudice pro unō delictō detinetur, ab altero verò pro aliō delictō remissio petitur: quid Iuris? Responder Divus Pius in ead. lege, quod expeditō per unum Iudicem processu de criminis in sua provincia commissō, remissio debeat fieri ad alium Iudicem, & quidem hac distinctione: quod executio debeat fieri à poena minori, ne per majorem executio minoris impediatur; quod fieret, quando videlicet ultimō suppliciō afficeretur. Remittendus igitur est delinquens ad Iudicem, minorem poenam imponentem, à quo poenā datā, postea remittitur ad alium Iudicem, qui majorem poenam, pūta mortis, imponit.

§. 29. Verū enim verò hac omnia sese rectè habuere in Iure Romano, cum omnes adhuc Provinciæ essent sub unius Imperio, Judicesque ab uno penderent Superiore. Quod postquam in varia distincta fuit Regna, cœperunt non amplius uni parere propter paritatem. Par enim in parem non habet imperium l. 4. ff. de recept. arb. Hinc itaque factum, ut quoque Remissiones in desuetudinem abierint, adeò ut per consuetudinem totius Germaniae minus frequententur. Andr. Gail. de pace publ. lib. 1. cap. 16. n. 30. Wesenb. in parat. de accusat. n. 8. In nonnullis Germaniæ locis remissio delinquentium in Vicinios Magistratus ex consuetudine vel certa conventione, in usu est, modo is, qui remittere debet de remissione prius requiratur. Nam non requirenti non fit Remissio. Farinae. d. l. n. 38. Cœteroquin hodiè cum multiplex sit Jurisdictionum confusio in causis criminalibus, ut supra ostendimus, Iudex loci alterius non cogitur de consuetudine facinororum remittere, sed quod olim erat necessitatis, hodiè est arbitrii. Gail. d. l. n. 31. Wesenb. ad. l. 1. C. ubi de crim. n. 2. Et hoc arbitrium facit, ut hodienum nonnunquam in atrocioribus criminibus propter exemplum fiat remissio ad locum delicti, precariō & Iure am-

amicitiae, urbanitatis ac Vicinitatis, eaque sub antigrapho, sive
(ut vocant) literis reversalibus, auf einen Reverso oder Gegenbe-
lümmer ipsius Magistratus aut Domini Remissionem petentis,
quibus caver: nullum præjudicium per hanc remissionem, quam
non jure, sed precibus obtinuerit, ipsius Iurisdictioni inde gene-
ratum iri, seque in casu simili idem facturum. *Carpz. pr. Crim. d.*
quest. n. 57. & seq. Andr. Gail. d. l. n. 31. jung. Berlich. Concl. 45. n. 46.

§. 30. Quod si Iudex loci deprehensionis remissionem
denegaverit, non potest ad id compelli, nisi sponte & ultrò
deprehensum transmittere velit. *I. 4. ff. de recept. arb. I. 31. §. 4. ad*
SC. Trebell. quilibet enim Iudex sui Principis Iurisdictionem tueri
tenetur, quo volente & jubente omnino ad remissionem est
obstrictus. *Farinac. l. cit. n. 32.* Interim vero quando remissionem
nullo modo impetrare possumus, & Iudex reuni transmittere
nolit, tenetur in suo territorio cuivis efflagitanti justitiam ad-
ministrare & delinquentem punire, ne crimina maneat impunita.
Ante omnia autem Remissionei locus dandus, quando sub
eodem forcè territorii Domino à Magistratu, sub cujus Iurisdi-
ctione delictum est commissum, processus inquisitorius adversus
delinquenter formatus, causa criminalis ventilata & sententia
jamdum lata fuit, Reus vero ante executionem sententiaz, ruptis
vinculis & effracto carcere auffugiat. Tunc Iudex, qui eum ito-
rum deprehendit, ad locum delicti remittere debet, ut legitimi-
mam luat poenam, sententiaque executioni mandetur, ne reddatur
elusoria & frustatoria. Ad hanc remissionem etiam Iudices
sub Electoratu Saxon. sunt obligati, ut appareat ex Ordin. Pro-
vinc. de an. 1555. sub tit. dasf man die Ubelthäter so in den Aemptern
verbrochen und entwesen / wiederumb in die Aempter soll folgen
lassen.

§. 31. Impetrata tandem remissio lis adhuc moveri so-
let, à quonam sint refundenda expensæ, factæ in capturam, cu-
stodiā & alimenta delinquentis, à Iudice ne requirent, vel re-
quisito, an vero carcerato, vel accusatore? Variè in hoc Docto-
res opinati sunt, ut passim constat. Iohannes Faber statuisse fer-
tur,

tur, quod requisitus Judex suis expensis remittere debeat, sumtō argumentō. ex l. un. C. de Offic. Procons. & leg. sed hæc opinio non est tenenda. Infirma enim nütur ratione, lexque ad firmandam sententiam allegata non simpliciter procedit, sed tunc demum, si carceratus culpabilis & de crimine convictus sit. Afferit quoque Carta-vita super rit. magna Cur. ritu 235. n. 13. & seqq. remissionem expensis carcerati fieri debere, & si carceratus sit egenus & non solvendo, expensis accusatoris, deficiente verò eo, Judicis requisiti. Quam opinionem cum ex hoc discrimine accipio: aut carceratus culpabilis & delinquens est, & de hoc certi sumus, vel quia confessus, vel legitimè convictus est; & tunc etiam altero petente remissio fieri debet expensis ipsius carcerati, quia delinquentis culpa alteri non debet esse nocumento. Sim nihil tale de delinquentे prædicare potest, aut solvendo ille non est, accusator remissionem petens expensas restituere tenetur. Quod verò attinet Judices, is solus ad expensarunt remissionem tenetur, qui remissionem delinquentis ex officio petit, quam si recusat, Judex requisitus eò magis recusare potest remissionem, cùm non obligatus sit de suo expendere sumptus. At quando à nullo horum, neque ab Accusatore, neque à Judice remissio efflagitatur, sed tantum à delinquentе seu carcerato, v. c. à Clerico; qui se ad Judicem suum Ecclesiasticum remitti petet, eò casu remissio non sit expensis Judicis, sed solius carcerati remissionem potentis.

Carpz. pr. Crim. p. 3. q. 110. n. 67. & 68.


§. 3 z. Reus igitur postquam copiam sui præstiterit, aut ex loco deprehensionis transmissus fuerit, non statim Index loci delicti ipsum ad supplicium rapere, sed defensione ius ad deducendam suam innocentiam locum dare debet. Non enim æquitatis ratio patitur, quenquam inauditā causā damnari. l. 1. ff. de requir. vel absent. damn. sed melius est nocentem dimittere, quam innocentem condemnare, arg. l. 47. ff. d. O. & A. l. 5. ff. de pæn. Igitur prudentis iudicis officium est ad petitionem inquisiti terminum defensionis concedere & assignare. Quin etiamsi Reus defensionem prætermiserit, iudex ex officio defensiones Rei querere, easque supplere, & quoquā modō adjuvare debet, l. 19. ff. de pæn. l. 1. ff. de quaest. Idq; exigente favore defensionis. Tantum.

S O L I D E O G L O R I A.

Ölmilch und Butter statt der Milch und Butter für
die Käseherstellung zu verwenden. Es ist eine
gewisse Menge Butter zu verwenden, um die Käseherstellung zu
begünstigen, aber zuviel Butter verhindert die
Käseherstellung. Wenn man Butter zu viel verwendet,
ist es schwierig, den Käse zu formen. Es ist wichtig, die
Buttermenge so zu wählen, dass sie die Käseherstellung
begünstigt, ohne die Käsequalität zu beeinträchtigen.
Es ist auch wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.

Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.
Guttem Qualität Butter ist besser für die Käseherstellung als schlechte
Qualität Butter. Es ist wichtig, die Butter zu guttem Qualität zu verwenden.

100 200 300



X2615929

WOMK



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Hol. 11. n. 2
23/13
1683
24
JURIDICA
SIONE
TITUM AD
ELICTI,
ET NOBILISSIMI
NIS IN CELEBERRIMA
ACADEMIA,
IDE
O, AMPLISSIMO, ATQVE
SSIMO
ZIEGLERO,
HAC ALMA LEUCO-
ENISS. ELECTOR. SAXON.
JURID. ORDINARIO, SE-
GISTORII ECCLES. ET
E GRAVISSIMO,
PROMOTORE SUO OMNI
CULTU ÆTATEM
IDO,
VISITIONI SUBJICET
IS Mappach/
nus,
CONSULTORIUM
R. M. DC. LXXXIII.
da.
RÜNINGIJ, 1699.